



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

XLI. Vt per singulos annos conuenientes episcopi ad Concilium, etiam de paschali solennitate a primate suo informentur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

Sed illud est statuendum, ut quando ad eligendum episcopum conuenerimus, si qua contradictio fuerit oborta (quia talia tractata sunt apud nos) non præsument ad purgandum eum, qui ordinandus est, tres iam, sed postulentur ad numerum supradictorum vnus vel duo, & in eadem plebe, cui ordinandus est, discutiantur primo personæ contradicentium: postremo illa etiam quæ obijciuntur, pertractentur. Et cum purgatus fuerit, sub conspectu publico, ita demum ordinetur. Si hoc cum vestræ sanctitatis animo concordat, roboretur vestræ dignitatis responsione. Ab vniuersis episcopis dictum est: Placet fatis.

Afr. ca. 17.  
Dist. 25.  
Illud statuendum est.

Honoratus & Urbanus episcopi dixerunt: Quoniam de \* Concilio quædam tractata noscuntur, adiicimus etiam de die Paschæ nobis esse mandatum, ut de ecclesia semper Carthaginensi (sicut prædictum est) instruamur, & non sub angusto temporis spatio. Aurelius episcopus dixit: Si sanctitati vestræ videtur (quoniam nos spondidisse iam superius meminimus) ut singulis quibusque annis ad tractandum conueniamus, & cum conuenerimus in vnum, tunc diuulgabitur sanctus Paschæ dies per legatos, qui fuerunt in Concilio. Honoratus & Urbanus episcopi dixerunt: Nunc de præsentis cœtu petimus, ut literis prouinciam nostram de hac die informare dignemini. Aurelius episcopus dixit: Ita fiat necesse est.

Afr. c. 18.

Præsentis  
Concilii.  
ca. 1.